

Nec steriles optet noctes, orbasque parentes,  
Funera densa virum, funera rara senum!  
Ne similem proles agitant cum stirpe furorem  
E terris tumidas tollat ad astra minas.  
Nam scelus est virtus, furor est sapientia prima,  
Nil curans terras otia numen agit.  
Quale facer finxit tetrus Epicurus in hortis,  
Quale docet calvi turpe suile senis.  
At licet, ut Divum metus ejiciatur ab orbe,  
Alternas partes Error & Astus agant:  
Non desunt, facto pro Religionis honore  
Qui pia vindicibus viribus arma ferant.  
Hos inter, PRÆSUL, diris immistus Achivis,  
Cerneris in turmas fulminis ire modo.  
Non Te blanda trahit Siren, non turbat Erinys,  
Flagris ista suis, cantibus illa suis:  
Quo minus hanc pestem Tellure & Nocte creatam  
In sua caelesti Tartara luce fuges.  
Tu licet hic tamquam cautes Marpesia durus  
Vocibus invidiae forte ferare malis:  
Nil curas, etiam hæc laudi convicia ducis:  
Sic rupes spernit vim furiasque sali:  
Durus es, ut stes officio: nam numen in ipsum  
Impius est, illic qui volet esse pius  
Non odio sed amore nocet, quæ vulnera curat,  
Saevitiamque manus, ni premat ulcus, habet.  
Nempe velut quondam conspecta Gorgone corpus  
Quodlibet in saxum diriguisse ferunt:

Sic